

captivitate, incendiis deformabant, in omnes æque grassabantur; usque ad Lefcaram pagum, illati, omnia crudelitatis exempla edebant. Nec Leucosiae deerant, qui irruptionem in Turcas flagitarent, quos dispersos, ac pallantes manipulatim excurrere nuntiabatur. Cæsar Plovenius Vicetinus cum Epirotis equitibus centum ab Rochasio exire jussus, qui & audaciam hostium reprimeret, & pabulatores, atque eos, qui frumenta, ac commeatus in urbem importabant, tueretur, tumque rusticani hominibus in montes receptum redderet; is ut, quid hostes molirentur, pernosceret, circumiecta regione lustrata, binos Turcas, qui ingentem jumentorum prædam convectabant, nactus, captivitate affecit; ea recuperata, cum haud procul quingentos hostium equites abesse cognovisset, in urbem revertitur.

Qui Lefcaram pagum incolebant, se hosti dedidere; exemplum propinquii sequuti in Turcarum potestatem ultro concedere. Id pergratum Bassæ fuit, qui comiter exceptos, ultro citroque commeandi facultate data, cum eorum rebus incolumes servari jussit, hac humanitate eos, qui intra montes se receperant, ad se attrahere posse ratus, quos per Lefcaræ primores pollicitis, donisque solicitabat. Jamque multi ad defensionem spectabant, cum Leucosiae magistratus, ut his initiis obviam iretur, multa exoriri tum inde incommoda prospiciens, Plovenium cum Epirotis equitibus centum, Gregorium Dantæum cum sexcentis ordinum militibus, quorum uxores filiique veluti obsides in urbe erant, mittunt, qui in Lefcarenes, feminis puerisque exceptis, ferro atque igne sœviant. In itinere hostium manum præda onustam adorti, partim fundunt ac cœdunt, partim captivos efficiunt. Mox noctu per acclivia montis ad pagum delati, inopinantes somnoque consopitos homines inveniunt, atque ad unum omnes obtruncant: quadrungentos fuisse ferunt; pueros, feminas capiunt, supellecilem asportant, pagum incendunt, ac solo æquant; ea res reliquos perterrefactos in officio continuit.

At exscensione copiarum, de quibus diximus, facta, centum ac quinquaginta hostium navigia, ut Mustapham cum reliquis in Cyprum devcherent, in Ciliciam revertuntur. Universo exercitu lustrato, quinquaginta peditum millia, atque in

*Lefcaræ  
Cypriorum  
pagus ad  
Turcas de-  
ficit.*

*Plovenius  
Vicetinus  
in Lefca-  
renses ani-  
madvertie.*

*Turcarum  
copia in  
Cypris oppu-  
gnatione.*